CONSTITUTIONES PIAE, PRO REFORMATIONE FRATRUM S. FRANCISCI...

Minori conventuali, Antonius : de Sapientibus



VNIVERSIS ORDINIS MINORVM CONVENTVALIVM PROFESSORIBVS

F. Antonius à Sapientibus Augusten. eiusdem Ord. Generalis Magister, ac seruus S. P. D.



VOD ſemper magnis votis Deum precatus ſum (Dilectiſsimi Patres) nedum in eo Magiſtratu poſitus, in quem veſtra omnium beneuolentia me conſtituit; ſed etiam cum expers eſſem poteſtatis, vt Religio hæc, & ſodalitium noſtrum ad maiorum viuendi normam aliquãdo reſtitueretur; id hodie ita futurum confido, vt me ſummo gaudio, & ſpirituali quadam uoluptate profuſum ſentiam; non ea tantum de cauſa, quod Beatiſsimum Patrem noſtrum Pium Quartum id cupere: ꝗ amplißimos Dominos Cardinales Protectores, aç bonos omnes id deſiderare: quod Sanctam Tridentinam Synodum id iubere videam: ſed potiſſimum, quod in præclaris animis veſtris primæuam Religionis pietatem ſponte reuiuiſcere, & ſuccreſcere inſpiciam. Neq; enim fieri poteſt, vt antiqua ſanctitatis, & probitatis ſemina in vobis, qui Seraphici Patris noſtri

B. Francisci filii estis primogeniti extincta penitus iaceant; quandoquidem, si hoc esset, nullus occurreret, qui collapsam nostri Ordinis disciplinam mecum restituere conaretur: quod tamen pleriq; prompto, & alacri animo faciunt. Sed quibus lapidibus, & cœmentis ædificium hoc nostrũ collapsum restaurabitur nisi iis, quibus à principio per Patres nostros constructum fuit pietate in Deum Sancta, & in homines? Hæc primos lapides pro fundamentis, hæc solidam basim iecit: ab hac erecti sunt parietes: hac perfectum fuit ædificium, & tamdiu conseruatum. Quid verò in causa est, cur nunc tot rimas faciat, & ruinam minetur, nisi quia hactenus multi suo spiritu ducti sibiipsis vixerunt, carni, & sanguini ædificarunt, Deo non seruierunt, suæ & scopulorum saluti non inuigilarunt? Quid igitur dicendum? Nunquid propter istos spes salutis à nobis ablata est? Nunquid, vt ait Propheta, manus Domini est abbreuiata? An non putatis B. Patrem Franciscum de filiorum salute solicitum esse? Audistis (Patres) vidistis, experti estis à quibus difficultatibus, & periculis his tẽporibus erepti estis. Quid futurum speratis, si vos veros filios, & imitatores tanti Patris exhibueritis? Nonne anteactæ calamitates in dignitatem, & gloriam vestram cedent?

dent? Ego quidem mearum virium tenuitatem, & impotentiam agnoſco; ſed maximam expertus Dei bonitatem, & clementiam, quibus Rempub. noſtram fluctuantem non ſolum à tempeſtatibus liberauit, incolumemq; ſeruauit, ſed etiam non parum auxit, meliora in dies ſperare non dubito. Reuocate uobis ad memoriam, quales in Dei Eccleſia fuerint maiores noſtri, quomodo ſe geſſerint, qua viuendi forma mundum omnem ad ſe attraxerint, ita vt nullus ferè locus inueniatur, quem acceſſu,& pietate ſua non penetrarint: nullus gradus, nulla dignitas, quæ non libenter eorum inſtitutum amplexata, ſecutaq; fuerit. Habent res mundanæ ſuas viciſsitudines: ſi vos ad corda veſtrorum Patrum conuerſi fueritis, eorum aurea ſæcula uobis redibunt. Facilis iſthæc eſt mutatio: Adhuc extant eorum reliquiæ cultus, diſciplinæ, ceremoniæ: Tantum abuſus, qui vel hominum malitia, uel temporum vitio ſubintroducti, inueniuntur, tollendi à vobis ſunt. Hoc Sancta Tridentina Synodus intellexit: Hoc Sanctiſsimus Chriſti Vicarius in ſequenti Diplomate paterno animo præcipit: Et voſmet in proximis generalibus Comitiis Florentiæ animaduertiſtis, vbi hac de cauſa tot leges, & ſanctiones iſtituiſtis, quarum obſeruationi vos,& poſteros veſtros ad-

ſtrinxiſtis. Quid igitur ſupereſt, niſi vt inſtituta veſtra perficiatis? mores peſsimos, qui in ſodalitio noſtro ſæuire cœperant, componatis? Sanctus vincat libidinem pudor; temporalium ſolicitudinem ſpiritualium extinguat deſiderium; audaciam cohibeat timor; deſpectum charitas, amentiam ratio, ſaluti ſuæ, & proximi omnes inuigilent. Sic veſtras partes apud Deum implebitis, ſic mundo, qui per ſanctitatis exempla doceri cupit, ſatisfacietis, & Seraphicus Pater veſter vos ſuos filios agnoſcet, ac ei, à quo ſibi ſunt redemptionis noſtræ ſigna carne impreſſa continuis precibus commendabit. Ego verò pro veſtra ſalute, & dignitate omnibus viribus enitar, ne quid ſtudii, aut fidei in me deſiderandum relinquam. Quod faxit Deus Optimus Maximus. Valete.

BREVE CONFIRMATIONIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE IIII.

Pro constitutionibus fratrum S. Francisci Conuentualium.

PIVS PAPA IIII.



D perpetuam rei memoriam. Sedis Apostolicæ copiosa benignitas piis quarumlibet regulari sub casti monia Domino militantium personarum uotis libenter annuit, & illis, quæ pro earum felici statu, & reformatione processisse comperit, ut illibata persistant libenter Apostolici adiicit muniminis firmitatem. Sane cum nos nuper considerantes quam uberes fructus in Dei Ecclesia sacer fratrum Minorum ordo ab eius institutione produxerit, & quantos in dies producturus sit, si ad pristinam maiorum suorum normam per nouitatem, seu reformationem uitæ

* resti-

restitutus foret, quibusdam ex dilectis filiis nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & præsertim dilectis filiis nostris Carolo tituli Sanctæ Praxedis Borromeo Protectori, & Ludouico tituli Sancti Ciriaci in Thermis Viceprotectori eiusdem ordinis præsbyteris Cardinalibus Symoneta nuncupatis, ipsius ordinis reformationem curandam commiserimus, quibus negotium ipsum tantæ curæ fuit, ut dilectum filium Antonium de Sapientibus de Augusta eiusdem ordinis Generalem, & Ministros, nonnullosq; fratres eiusdem ordinis tunc congregatos in eos capitulo generali Florentiæ nuper celebrato, in quo idem Antonius in ipsius ordinis Generalem ad triennium electus, & deinde à nobis ad aliud triennium supplicationibus ministrorum Prouincialium dicti Capituli nobis humiliter porrectis confirmatus fuit ad nonnulla statuta, & ordinationes negotium huiusmodi concernentia edenda, adduxerint, ac multa priori professioni adiunxerint, ac ueterem disciplinam renouauerint, nihilq;

præ-

prætermiserint quod ad exactam suæ professionis completionem uisum fuerit opportunum, prout in publicis documentis desuper confectis plenius dicitur contineri, Nos qui ipsum Antonium petitione, supplicatione, & consensu dicti capituli Generalis sponte accedentibus ad aliud triennium in eiusdem Ordinis Generalem deputauimus statutorum, & ordinationum huiusmodi, de quibus certam notitiam habemus, ueriores tenores præsentibus pro expreßis habentes, cupientesq; ut dictus ordo, quem in uisceribus gerimus charitatis, ad suum pristinum statum, seu uiuendi normam reducatur, suosq; speratos longe uberiores producat fructus; motu proprio non ad alicuius nobis desuper hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine quæcunque statuta, ordinationes, declarationes, electiones, et electionis huiusmodi modos, ualidationes, petitiones, supplicationes, conceßiones, deputationes, prohibitiones, inhabili-

bilitationes, amotiones, dispensationes, omniaq; et singula in dicto Capitulo Generali circa dicti ordinis reformationem facta, & gesta auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, et cōfirmamus, illisq; perpetuæ et inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ea perpetuis futuris temporibus per quoscunque ipsius ordinis superiores, & alias personas sub pœnis in illis adiectis inuiolabiliter obseruari mandamus, ac omnes, & singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem supplemus, sicq; per eosdem superiores, & quoscunque eiusdem ordinis ministros nunc, & pro tempore existentes obseruari, & iudicari debere, nec non quicquid secus super his a quoque quauis auctoritate scienter, uel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstan. quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs æditis generalibus, uel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, statutisq; et consuetudinibus ipsius ordinis, etiam


iura-

iuramento confirmatione Apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis, Priuilegiis quoq; Indultis, et literis Apostolicis dicto ordini, nec non illius superioribus, ministris conuentibus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & firmis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis specifica, indiuidua, & expressa, ac de uerbo ad uerbum mentio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac uice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, omniaq; contra reformationem huiusmodi hactenus concessa, & edita reuocamus, et annullamus, cæterisq; cõtrariis quibuscunq;. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, Die xvij. Septembris. M D L X V. Pontificatus nostri Anno sexto.

Cæ. Glorierius.

INDEX
RERVM MAGIS NOTABILIVM, QVÆ CONTINENTVR IN *constitutionibus.*


A



Fra-

FINIS.

PRAEFATIO.



RIMVM *omnium ſatis conſtat Seraphicum Patrem noſtrum Beatum Franciſcum diuino lumine illuſtratum Ordinem ſuum ſub titulo fratrum Minorum inſtituiſſe, hocq; nomen delegiſſe, ne fratres ſui (ut Diuus Bonauētura teſtatur ſuper reg.) de ullo dignitatis gradu contenderent, neq; honoris nomen ſibi uendicarent, ſed omnibus, ſaluo Dei honore, ſe ſubiicerent, & ad temporalem magnitudinem non aſpirarent. Sic uerò dicti ad imitationem illorum, de quibus dixit Saluator: Quandiu non feciſtis uni ex minoribus his, neq; mihi feciſtis. Huic autē Minorum titulo, in ipſis quaſi Religionis primordiis ex Apoſtolica auctoritate nomen Conuentualiū acceſſit, quod uſq; hodie à nobis retinetur. Innocentius enim quartus Pont. Max. uir doctrina, & ſanctitate clarus, per Breue, quod in Archiuio eccleſiæ noſtræ ſanctorum duodecim Apoſtolorum Romæ integrum ſeruatur, declarauit eccleſias fratrū Minorum, ubi eorum Conuentus exiſtebant, Conuentuales uocari: Vnde Conuentualium nomen Minorum titulo adiunctum eſt: nomen quidem humillimum, quod nullum honoris, nullum dignitatis, uel ſanctitatis titulum præſefert: ſed tātum Minorum fratrum ad unam regulam, ad unamq; uitæ communitatem uniformem animum ſignificat. Sub hoc*

titulo per uniuersum orbem creuit Minorum Religio, & adeò celeriter aucta est, ut superstes adhuc Beatus Franciscus in uno Capitulo Assisii habito contemplatus sit quinq;, & eò amplius millia suorum fratrum, quemadmodum annales ordinis testantur: quod miraculi loco iure optimo ascribendum foret; non enim sine speciali Dei omnipotentis uirtute, & gratia tot uiri ex tot prouinciis tàm breui spatio ad tàm arduum uiuendi modum adduci potuissent. Hæc auctio autem non tàm propter hominū multitudinem, quàm propter spectatæ sanctitatis uirorum multitudinem ponderanda est, tunc enim quinq; illi Martires, qui cathalogo sanctorum ascripti sunt, dum Maomethicam sectam oppugnant, & Christum Deum uerum prædicant, apud Marochium Saracenorum urbem sanguinem profuderant. Tunc septem item Martires ex eodem ordine in Cepta Aphricæ ciuitate per martirium ad cælos euolauerant: Non referam tot prodigia & miracula Beati Antonii: Non multiplicem Doctoris Seraphici Bonauenturæ eruditionem, & sanctitatem, cuius opera, et consilio in Lugdunen. Concilio Græcorum controuersiæ de fide compositæ sunt. Prætermittā Beatum Ludouicū, Episc. Tosolanum Beatam Claram, Elisabeth, & innumeros alios, qui miraculis corruscarūt; ex quorum uita, doctrina, & exemplo, maximam utilitatem, et splendorem ecclesia semper consequuta est, ut diuersarum gentiū historiæ testantur. Quis Oranū totius Mauritaniæ munitissimam urbem, et alia infidelium oppida Christianorum Imperio restituit? nisi ille

Archie-

Archiepiscopus Toletanus, & Cardinalis ex Ordine Minorum assumptus, qui ex prouentibus suæ ecclesiæ aduersus Mauros classem parauit, & eidem præfuit? Quis Usumcassanum Persarum, et Armeniæ principem contra Tirannum Turcarum adeò excitauit, ut postea (Deo uotis nostris fauente) ferè semper illi infestus fuerit? Quis Græcos, & eorum Imperatorem Paleologum ad Lugdunense Cōcilium, ut in sententiam Rom. uenirent ecclesiæ, adduxit? Quis Tartarorum gentem, & Parthos ad Fidem Christi uerbo, & exemplo traxit? nonne hi omnes ex Minorum Conuentualium sodalitio egressi sunt?

In his studiis & præclaris gestis ordo Minorū absq; ulla controuersia se exercuit per annos ducentos, & eò amplius, in quibus adeò floruit, ut omnes ecclesiæ gradus, & dignitates adeptus fuerit, eiq; summi Pontifices certatim gratias, & priuilegia conferrent, ut in literis Apostolicis facilè est uidere. Quis uerò tunc fuerit in ordine rerum status, quod uitæ genus, quæ regulæ obseruatio, multæ summorum Pontificum in regulam nostram declarationes, quarum quædam in decretalibus continentur, testatum relinquunt: adeò enim dubitationibus, & difficultatibus litera regulæ nostræ scatet, ut nisi eam Sedes Apostolica declarasset, nullus dubitandi esset finis.

Principiò quidem, dum pauci adhuc essent fratres, ex mendicatis quotidiè fidelium suffragiis uictitabant, & uti etiam quotidianis utensilibus crimen arbitrabantur, ità ut

cogeretur

cogeretur Summus Pontifex Gregorius nonus eorum conscientiæ per literas Apostolicas consulere, qui hæc dixit; Dicimus itaque quòd nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere, sed utensilium & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere; eorum usum habeant. Et fratres, secundum quòd Generalis Minister, uel Prouinciales duxerint, iis utantur, saluo locorum, & domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere. (Hæc Gregorius, qui tempore Beati Francisci claruit, & de se dicit: Et cum ex longa familiaritate, quam idem confessor nobiscum habuit, plenius nouerimus intentionem ipsius, & in condendo præfatam Regulam, & obtinendo cōfirmationem ipsius per sedem Apostolicam sibi astiterimus, dum essemus in minori officio constituti &c.) Ad quos uerò pertineret prædictum dominium sequentes Summi Pontifices declarant. Innocentius quartus, qui quidem post Cælestinum (qui decem & octo tantum diebus ecclesiæ præfuit) Gregorio successit, eadem ferè uerba dixit, hoc adiungens, quòd bona fratrum non debent uendi aut alienari sine licentia sedis Apostolicæ, cum tàm immobilium, quàm mobilium (inquit) ius, proprietas, & dominium nullo medio ad ecclesiam ipsam spectent, cui domus, & loca prædicta, cum ecclesiis, & cæteris suis pertinentiis (quæ omnia in ius & proprietatem Beati Petri suscipimus) omninò tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus immediatè subesse noscuntur. Idem profert Alexander quartus iisdem uerbis. Clemens uerò quartus anno primo sui Pontificatus, cum

iam

iam fratres Minores ualdè essent propagati, & quotidianæ eleemosinæ ad eos alendos non sufficerent, concessit, ut licitè possent succedere in bonis suorum parentum, & possessiones apprehendere, & in suam utilitatem conuertere. Et Martinus quartus ex suis literis idem concessisse uidetur, cum de fratribus Minoribus loquens dicit: Idem fratres, qui pro nulla re temporali possunt in iudicio experiri, ut exclusis quibuslibet solicitudinibus, liberius, & quietius diuinis uacent obsequiis, & offerentium, donantium, concedentium, aut in ultima uoluntate relinquentium ordini prædicto, uel fratribus eiusdem ordinis aliquid propter Deum, ne pia intentio fraudetur, sitq; nobis solicitudini, quòd præfatus ordo pro suis necessitatibus, quoties ingruerit necessitas, uel utilitas suaderet, recurrere ad Romanam ecclesiam cogeretur, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus fratres uti possunt, ius proprietas, & dominium nullo medio spectat, &c. Hæc eadem explicatius declararunt recentiores quidam Summi Pontifices, & præcipuè (ut omnes in paucos includam) Martinus quintus, Sixtus quartus, Alexander sextus, Clemens septimus, Paulus tertius, qui etiam concesserunt, ut in hæreditatibus ab intestato obuenientibus, ipsi fratres nomine ecclesiæ Romanæ succedere possent, acsi essent in seculo; Ex quo liquet quòd quasi à principio surgentis religionis fratres Minores cœperunt habere usum non tantum mobilium, sed immobilium ex liberalitate sedis Apostolicæ, quæ ipsorum bonorum ius, & dominium apud se recipiebat.

usum

usum uerò fratribus concedebat, quomodo hactenus ante Tridentinam Synodum nobiscum se gessit.

Hunc uiuendi modum maiores nostri sequuti sunt absque ulla impugnatione, & stimulo conscientiæ soliciti semper Ecclesiæ Catholicæ pro sua in eos benignitate, & clementia totis uiribus uicem aliquam grati animi rependere, donec circa tempora Concilii Constantiensis quidam nostri ordinis fratres priuilegiis summorum Pontificum, & eorum declarationibus super regulam abiectis, soli literæ inniti cœperunt, & sub prætextu obseruantiæ regulæ ad mendicationem quotidianam primorum nostrorum Patrum, in quibus egebant, conuersi sunt; quod a Superioribus ordinis, ne Spiritui sancto obsistere uiderentur, facilè illis concessum est. Verum isti non contenti subduxisse se à communi uita aliorum, in Constantiensi synodo, quæ anno Domini Millesimo quadringentesimo decimo octauo celebrata est, subduxerunt se etiam ab ordinaria Superiorum potestate proprios ex seipsis præfectos postulantes: Et id quidem obtinuerunt, non recusantibus, immo assentientibus prælatis nostris, qui ibi aderant, hac tantum lege præfixa, ut electi ex ipsis Præfecti à nostris confirmarentur; Et quòd Generalis in persona propria eos uisitare posset: quod seruatum est usque ad annum Domini Millesimum quingentesimum decimum septimum. Tunc uerò sub Leone decimo Pontifice Maximo ita effecerunt quorundam Principum fauore adiuti, quòd ab obedientia nostri Generalis se substraxerunt, & Obseruantium

regulam

regulam sibi nomen uendicando, etiam proprium Generalem obtinuere: Nos interim summorum Pontificum declarationem, usumq; bonorum eius post Patres nostros, qui Ecclesiam illustrarunt, sequuti sumus, tutius esse arbitrantes piam Ecclesiæ declarationem amplecti, quàm omnimodam regulæ completionem cum periculo profiteri, & maximè cum uideamus etiam ipsos obseruantiæ Regulæ professores habere uarios redditus, & prouentus, sine quibus minimè uiuere possent. Unde constat quòd usus rerum nostro usui à Sede Apostolica concessus paupertati regulæ non contradicit, tùm quia maiores nostri, qui doctrina, & pietate insignes fuerunt, ita uixerunt. tùm quia nos Regulam Beati Patris nostri Francisci non simpliciter iuxta literam, sed eam iuxta summorum Pontificum declarationem (ita nos docuit Beatus Pater, cùm Sedi Apostolicæ suam Regulam subiecit) profitemur; præsertim Martini quarti, & quinti, Eugenii quarti, Sixti quoque quarti, & Alexandri sexti.

Errãt igitur, & in Sedem Apostolicam matrem nostrã temere inuehunt, qui asserunt nos propter usum simplicem rerum temporalium Regulæ nostræ aduersari, uel non satisfacere: Quibus tandem Sacrosancta Tridentina Synodus, quæ nobis concedit, ut poßimus habere proprium in communi, ora opprimet. Sed quoniam nulla est adeò bonis legibus instituta Respublica, quæ præuaricatores aliquos non habeat, quibus iusti offenduntur, & mali ad præuaricationem excitantur, ita non est adeò sanctis ordinibus distincta reli-

gio, quæ aliquos minus ſuæ profeßioni reſpondentes non habeat, ex quorum uitio publica ſæpe, in uniuerſos uergit infamia. Quod quidem ne Religioni noſtræ accidat, infraſcriptas leges collegimus, per quas Religio noſtra in ſua puritate, & in Patrum noſtrorum diſciplina conſeruabitur, ad Dei gloriam, Animarum ſalutem, & Eccleſiæ utilitatem.

CAPITVLVM PRIMVM.

Regula, & vita fratrum Minorum, hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti Sanctum Euangelium obſeruare, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. *Per hæc uerba Seraphicus Pater noſter uoluit nos docere, quòd regula, & uita, quàm profitebatur, non erat res noua, ſed proculdubio renouata profeßio Euangelici inſtituti.*

Viuendo in obedientia. *Non ſolũ Dei mãdata, ſed hominum etiam propter Deum exequendo. Nam & Chriſtus Saluator noſter factus eſt obediens uſq; ad mortem.*

Sine proprio. *Quia, ut dictum eſt in præfatione, fratres Minores nunquam habuerunt quicquam, quod poßiderent, uel quo uterentur tanquàm proprio, ita dicebat de ſeipſo Chriſtus, uulpes foueas habent, &c. Et de Apoſtolis ſcriptum eſt multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquàm eorum, quæ poßidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.*

Et in caſtitate. *Qua Beatus Franciſcus uoluit fratres*

ſuos

suos cæteris præstare, iubens, ut nedum mente, & corpore casti essent, sed etiam, ne haberent cum mulieribus suspecta consortia, & ne ingrederentur Monasteria Monacharum, prout infra dicetur. Duo in hoc capitulo notantur.

Primum, ut uota ista obedientiæ, paupertatis, & castitatis, inuiolabiliter obseruentur, pro quorum exequutione ponuntur ordinationes, quæ continentur in sequẽtibus capitulis.

Secundum, quòd eo modo, quo Beatus Franciscus promittit obedientiam Beatissimo Domino Papæ Honorio, & successoribus suis: ita fratres agnoscant se subditos Romano Pontifici, & post ipsum Superioribus Ordinis, Generalibus, Prouincialibus, Custodibus, Guardianis &c. Hæc autem nõ ex sua uoluntate solum, cum illis uisum fuerit, sed maximè ex uoto, quo astricti sunt semper, & ubiq;.

CAPVT SECVNDVM.

Si qui voluerint. *In hoc capitulo sunt tres articuli principales.*

Primus, De recipiendis ad Ordinem fratribus.

Secundus, De Apostatantibus ab ordine.

Tertius, De fratrum indumentis.

Circa primum ponuntur infrascriptæ constitutiones ex decreto Generalis Capituli.

Non liceat alicui Conuentui, uel loco pueros ad Ordinem recipere, neq; habitum illis dare, sine Generalis, uel Prouin-

cialis expressa licentia, quæ non detur, nisi prius de puerorum indole constiterit, & quòd de parentibus bonæ famæ orti fuerint.

Nouitii, qui sument habitum in quocunque monasterio ante ætatem completam sexdecim annorum, mittantur statim à suo superiore in certum Conuentum, seu seminarium, unum uel plura, quæ nouitiatus uocamus. Qui separati sint à locis, & habitatione professorum, atque ibi cum suis Præceptoribus, & Rectoribus à Capitulo deputandis morantes educentur, & instruantur in timore Dei, ac bonis disciplinis & moribus: Atq; hac de causa in quacunq; prouincia ex custodia, ubi commodè fieri poterit, multiplicentur dicti nouitiatus, & maneant ibi pueri usq; ad ætatem dictam annorum sexdecim.

Professi etiam, qui non fuerint in sacris Ordinibus constituti, quantum fieri poterit, sua loca, & certum præceptorem habeant, qui eandem curam, quæ de nouitiis habetur, de illis gerat: Neq; huiusmodi professi per urbem, uel claustra uagari permittantur.

Teneantur uerò natiui puerorum, & professorum Conuentus iis Conuentibus, qui præfatos nutrient, succurrere iuxta taxam à superiore imponendam.

Qui autem minus apti ad literas inuenti fuerint, occupentur musica, & in seruitute Conuentuum, uel etiam in aliqua arte uiris religiosis non contraria, ut puta in arte pictorum, tonsorum, hortulanorum, & similium.

Et

Et ubi non fuerint huiusmodi professi, inseruiant fratres iuniores, licet fuerint Sacerdotes, melius tamen esset, ut in quolibet Conuentu inducerentur aliqui laici, & illis prouideretur de uictu, & uestitu iuxta condecentiam eorum status, quemadmodum in plerisq; locis fieri consueuit.

Pueri non admittãtur ad professionem, nisi post decimum sextum annum suæ ætatis expletum, iuxta decretum Sanctæ Tridentinæ Synodi, iuxta quam etiam ad sacros Ordines admittentur, non solum quantum ad ætatem, sed etiam quantum ad sufficientiam, & probitatem, ad subdiaconatum quidem post annum uigesimum secundum, ad diaconatum post uigesimum tertium, ad præsbyteratum post uigesimum quintum. Professionem uerò in libro ad hoc deputato adolescentes, & alii profiteri uolentes sua manu subscribant, quem librum singuli Conuentus particulariter habere teneantur. Et qui professionem solemnem non emiserint, non possint promoueri ad sacros ordines.

Is quoq; tantum numerus fratrum in singulis Conuentibus, & locis admittatur, qui ex redditibus propriis Monasterii, ac consuetis eleemosinis commodè possit sustentari: Nec ab eorum parentibus, propinquis, aut curatoribus aliquid ex eorum bonis, quocunq; prætextu ante professionem accipiatur, excepto uictu, & uestitu pro tempore, quo in probatione fuerint.

Fratres uerò alterius Ordinis, aut etiam eiusdem Ordinis, qui tamen diuersas habeant obseruantias, seu uiuendi

modum,

modum non recipiantur, nisi à Generali capitulo, explorata prius eorum uita, & quòd ab arctiori instituto non discedant, fuerint approbati.

Circa secundum, ubi dicitur, & nullo modo licebit eis de ista religione exire &c. *Licentia exuendi habitum, aut subtus ferendi nulli omnino concedatur, sed et nec morari cum habitu extra claustra sui Ordinis cuiquam permittatur, nisi fortè apud aliquos Prælatos, aut alios causa lectionis, aut prædicationis, seu alicuius pii operis, de licentia sui Superioris iuxta Sess.* XXV.*cap. 4. & si qui hactenus extra sunt absq; licentia suorum Superiorum reuocentur iuxta Bullã D.N.Pii.iiii. reuocatoriam priuilegiorum, Datã* XIII. *Cal. Martii* 1564. *Contumaces uerò excommunicentur, & nisi paruerint, subiiciantur ordinario puniendi. Qui uerò de Superiorum licentia alicui Prælato, Principi, aut Vniuersitati seruient, obedientiæ, & correctioni Superiorum subiaceant semper.*

Nulli etiam liceat exire claustra eius loci, ubi de familia degit, absq; licentia sui Guardiani, qui causam cognoscat, & Comitem illi pro suo arbitrio eligat (habeatur tamen ratio uirorum insignium, & graduatorum) Neq; aliquis discedat ex custodia sine custodis licentia, ut constitutiones generales, & Benedictus duodecimus præcipiunt. De prouincia uerò non nisi de Magistri Prouincialis licentia, siue eius Commissarii in scriptis obtenta, neq; causa accedendi ad Superiorem Prælatum; qui contrafecerit, ultra pœnam à Sancta Syno-

do

do Tridentina statutam, etiam in ordine pœna carceris per mensem, & unius publicæ disciplinæ opprobrio mulctetur, atq; secundum Alexandrinas constitutiones, ad conuentum custodiam, siue prouinciam suam confusibiliter remittatur.

Seruetur omninò decretum earundem constitutionum, quòd ita dicit, Inhibetur insuper Ministris iuxta generalia statuta, ut nulli licentiam ad Romanam Curiam tribuant, etiam causa deuotionis accedendi (ne detur occasio uagandi) nisi in capitulo de consensu Diffinitorum, et nisi fuerit uir probus, & moribus grauis, uel urgeat magna necessitas Prouinciæ, Conuentus, uel Monasterii: & si fieri potest, nullus Romam accedere permittatur, nisi cui fuerit à Generali Ministro concessa licentia specialis. Hactenus decretum. Si quis uerò Minister huiusmodi licentiam aliter, quàm supradictũ est, dederit, officio suo priuetur: si autem quis sine licentia Romam iuerit, eum reuertentem, etiam si literas commendatitias habeat, Prouincialis in carcerem tradat, & disciplinatum à sua custodia proscribat.

Qui in claustris morantur, non permittantur diu manere in suis natiuis Conuentibus, nisi uiri graues, & ualdè senes. Iuuenes uerò alibi collocentur, & nullus aduersus Superiorem, per hoc reclamare præsumat, sed humiliter iussa faciat.

Circa tertium, De vestimentis infrascripta statuuntur: *Ut in uestimentis sit modus, neq; eorum luxus, siue colorum uarietas infames apud Laycos fratres reddat,*

omnes

omnes fratres pannis communibus sub nigri coloris induantur, uel saltem iis rasciis, quæ duplices uocantur, & tales ut panni uideantur, quæ etiam ad obscuritatem tendant; Cæteri omnes panni, & rasciæ (nisi pro habitibus, qui subtus deferuntur) abiiciantur, & illis uti non liceat.

Nullus cothurnos albos, siue borzachinos deferat, nullus birretum in Ecclesia, uel per Ciuitatem gestet, neque etiam Chyrothecas, nisi in itinere. Qui contrafecerit post rerum priuationem, etiam à Conuentu expellatur, ita fiet de iis, qui aliquod indumentum uanum, & aliquo uano artificio elaboratum gestauerint.

Pallia, siue mantelli non deferantur cum manicis, siue ornati orbiculis, sed sint simplices, & longiores, & singuli Sacerdotes unum habeant.

Vestimenta etiam, quæ subtus deferuntur, non nisi honesta sint, & coloris ordinis nostri: Et tunicæ apertæ non deferantur, atq; cordæ sint rudes, & communes, non laneæ, aut aliqua curiositate confectæ, super quibus omnibus singuli prouinciales diligenter inuigilabunt.

In Cellis, seu Cameris fratrum, non liceat supellectilem aliam, quàm necessariam, & professioni paupertatis congruentem habere.

CAPVT TERTIVM.

Clerici faciant diuinum officium, &c.

In hoc Capitulo sunt tres Articuli.

Primus,

Primus de diuino officio.

Secundus de ieiunio.

Tertius de modo eundi per mundum.

Circa primum statuitur, quòd omnes & singuli cuiuscunque conditionis existant iuxtà laudabilem, & seruatum hactenus Religionis morem, diuinis misteriis, & choro quotidiè horis debitis intersint, nullusq; exemptus habeatur, nisi quos Alexandrinæ constitutiones excipiunt, ut puta lectores, & prædicatores, infirmi, & alii publicæ utilitati tunc expositi, qui tamen aliàs suo debito satisfaciant: Diuinum uerò offitium deuotè, attentè, & punctuatim persoluatur: Neq; aliquis è choro discedat, nisi expleto officio sine Guardiani licentia.

In qualibet prima Dominica mensium fiat processio per claustra cum litaniis pro Ecclesia Catholica, pro fidei defensione, ac Principum Christianorum concordia. Die uerò lunæ sequenti, ubi fuerit numerus sufficiens fratrum, cantetur Missa pro Benefactoribus ordinis uiuis, atq; defunctis.

Si quis autem conuictus fuerit de consueta omissione diuini officii, ut neq; frequentet chorum, neq; uideatur, aut audiatur diuinis uacare, cuiuscunq; gradus, & conditionis extiterit, sit priuatus omni officio, & gradu, & non nisi per Generalem restitui possit.

Cum diuina celebrantur, nemo discurrat per Ecclesiam, neq; ibi interdiu moram trahat, nisi causa orationis, uel saltem ex rationabili causa Guardiano nota, & dum diuina ce-

lebrantur fratres non audiant in confeßione absq; necesßitate, & de Guardiani licentia.

Uniuersi fratres ad Sacerdotium aßumpti, ut in Dei timore, & gratia se contineant, quàm crebrius poterunt, & saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus præuia peccatorum confeßione Sacerdoti facienda missas deuotè celebrent. Qui uerò Sacerdotes non sunt, saltem quinto decimo quoque die confiteantur, & communicent, aliter priuantur arbitrio Superioris.

Curabunt præterea Guardiani, ut omnia Ecclesiæ, & sacrarii supellectilia munda seruentur, Ecclesiaq; ipsa, & Conuentus sæpe purgetur.

In Conuentibus uerò, ubi magnus missarum numerus ex legatis impositus est, eleemosyna uerò tàm tenuis, ut fratres sustentari non poßint, seruetur caput quartum reformationis generalis Seßion. 25. Trident. Concilii: Ad cuius exequutionem ordinat Generale Capitulum, ut in Capitulis prouincialibus cuiuscunq; prouinciæ habeatur hæc consideratio, cum obligationis missarum tum emolumenti, quod inde trahitur, & hæc omnia referantur ad Generale Capitulum, ut ibi, quidquid secundum Deum uisum fuerit, statuatur.

Circa secundum, ieiunia omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & regulæ nostræ à cunctis fratribus seruentur, prouideaturq; illis in his diebus de conuenienti cibo, & iuxta constitutiones Alexandrinas, ceremoniæ solitæ non solum in prandio, sed etiam in refectione serotina, quæ hora competenti

fiat,

fiat, & ad quam omnes conueniant, peragantur: Nulli uerò à ieiunio excusentur, nisi quos constitutiones prædictæ eximunt.

Quod si quis absq; legitima causa Guardiano nota non ieiunauerit, idq; probari possit, si correctus non se emendauerit, pane, & aqua in carceribus puniatur.

Singulis sextis feriis uniuersi fratres disciplinam faciant, & in emendationem peccatorum suorum se percutiant, memores quod Dominus noster Iesus Christus pro peccatis nostris dira perpessus est: Hæc autem disciplina ita fiat. Congregentur in choro, uel sacrario, siue alio loco conuenienti fratres, & extinctis luminibus, ac clausis ianuis, & fenestris, Superior, aut alius deputatus signum manu faciat indicans silentium, quod per aliquod spatium seruatur, & interim fratres contemplationi uacant.

Deinde idem Superior, uel deputatus incipit uersum húc, & totum dicit, Videlicet, Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de uia iusta. Tunc omnes incipiunt se percutere, & dicuntur alternatim ab omnibus deuotè, & punctuatim psalmi, Miserere mei Deus, &c. Deus misereatur nostri, &c. Cum Gloria patri, &c. De profundis, cum requiem æternam, &c. Quibus expletis, dicitur, Christus factus est pro nobis obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis, etc. Inde superior uel deputatus dicit hanc orationem incipiens absolutè, Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster

Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Postea dicitur ab omnibus, Salue regina misericordiæ, &c. Et superior uel deputatus dicit sequentes uersiculos, & orationes Respondentibus fratribus ad singulos uersiculos uidelicet.

V. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, &c. R. Et renouabis faciem terræ.

V. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix. R. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

V. Ora pro nobis Beate Francisce, R. Vt digni, &c.

Oremus. Deus qui corda fidelium.

Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium, &c.

Deus qui ecclesiam tuam Beati Francisci meritis, &c.

Deus cui proprium est misereri semper, & parcere, &c.

Exaudi quæsumus Domine supplicum preces, &c.

Deus à quò sancta desideria recta consilia, & iusta sunt opera, &c.

Vre igne sancte spiritus renes nostros, & cor nostrum, &c.

Deus omnium fidelium pastor, &c.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulis tuis Cardinalibus Protectoribus nostris, &c.

Actiones nostras, &c.

Omnipotens sempiterne Deus ædificator, & custos, &c.

Omnipotens sempiterne Deus, qui uiuorum dominaris simul & mortuorum, &c. Per Dominum nostrum, &c.

In fine dicitur diuinum auxilium maneat semper nobiscum

cum Amen. Tunc omnes desinunt se percutere, et per aliquam moram sub silentio iterum contemplationi uacant.

Demum facto signo à supradicto Superiore, uel deputato omnes surgunt.

A mensa communi nulli eximantur, tàm mane, quàm sero, quòd si aliqui actu legentes, uel prædicantes, seu graduati, aut infirmi iudicati fuerint à Superioribus digni hac exemptione, hi tantum cibis à communi deputatis, et ex communi dispensa utantur; In mensa autem habeatur semper lectio ex sacra scriptura, uel ex sanctis Patribus.

Soli procuratori Conuentuum, & locorum, aut alii fratri deputato fratrum necessaria, præsertim uerò esculenta, & poculenta emere liceat.

Circa tertium. Nulli eundi per mundum à superioribus facultas fiat, nisi ex urgenti necessitate, & tunc Prælatus inuestiget, quo ituri, quæ negotia, et cum quibus sint acturi fratres, antequàm licentiam illis tribuat; et quantum fieri potest, non permittat aliquem solum proficisci, sed socium illi assignet.

Fratres itinerantes non sint conuiuæ, neq; hospitentur in domibus laicorum, præsertim publicorum hospitum, ubi sunt loca nostra, sed teneantur conuenire præfectum loci; ibiq; manere, et de eius consilio se gerere.

Nullus magistratum aliquem Principem, uel Prælatum ex quacunq; causa adire audebit, nisi ea causa à Superiore suo prius cognita fuerit, obtinueritq; ab eo facultatem accedendi

accedendi: Quin potius prohibetur, ne quis in aliquo foro causam ullam nisi publicam, et de mandato Superiorum, agere poßit. Quamobrem decernimus, ut causæ omnes, quæ Romæ agendæ sunt, ad procuratorem ordinis in urbe dirigantur, neq; aliis committi poßint, nisi de eius consilio, et assensu.

Procurator autem qui accedentes ad urbem sine licentia fratres carceribus non mancipauerit, & in Romana curia liberè, et impunè uagari permiserit, ab officio suo cadat, et non poßit restitui, nisi per Generalem, uel generale Capitulum. Hoc autem non solum de procuratore Cismontano, sed etiam de Vltramontano, si fuerit, intelligatur.

Cuicunque contigerit de mandato Superiorum ad alium locum transmigrare, teneatur relinquere Cellam, et si qua habet bona suo usui deputata, Superiori loci, unde discedit: Si quis uerò asportauerit aliquid extra Conuentum (nisi id gestaret pro sua neceßitate, et de Superioris licentia) illico iis bonis priuatus sit, et proscriptus à Conuentu ad arbitrium Superioris.

Cauebunt etiam Superiores, ne omnibus paßim concedant licentiam equitandi, præsertim fratribus iunioribus, qui sunt robustæ complexionis, et in literarum studiis non se exercent; quamuis intẽtio Beati Francisci in hac parte potius pompam, et faustum respiciat, quàm equitandi opportunitatẽ excludat.

CAPVT QVARTVM.

Præcipio firmiter fratribus uniuersis, ut nullo modo

modo denarios, &c. *In hoc capitulo usus pecuniarum omnium per se, uel interpositam personam uidetur omninò fratribus minoribus prima fronte interdictus, ita sonare uidetur litera: sed statim tamen in quibusdam casibus uidetur concessus, ubi dicitur, tamen pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, et quòd fratres possint equitare, si necessitate cogantur etc. Præterea, ut communiter interpretantur Doctores, et præcipuè quatuor magistri, qui in generali Capitulo parum post obitum Beati Francisci eius regulam explicarunt, uidelicet, Alexander de Ales, Gaufredus, Ioannes de Rupella, et Ricardus de media uilla, quorum doctrina in Ecclesia recepta est, sciendum est, quòd recipere pecuniam per se est eam auctoritate propria dispensare, et in suos proprios usus conuertere; Recipere uerò per interpositam personam, est eam in usum alterius auctoritate propria conuertere, et dispensare. Quod fratres Minores regulariter non fecerunt, quippe qui confessi sint semper omnia iura, dominiũ, et proprietatem bonorum omnium suo usui deputatorum penes Ecclesiam Romanam extitisse, usu facti simplicis cõtenti, unde mos ille inoleuit, et seruatum hactenus in Religione semper fuit, ut nulli unquàm licuerit etiam in ordine, hæredem sibi nominare, neq; aliquid disponere de rebus suo usui applicatis, etiam si ex intestato, aut alio quocunq; modo sibi obuenerint. nisi accesserit sui Superioris licentia, quæ non nisi ex rationabili causa dabatur, quæ tamen hodie post decreta Trid. Synodi amplius dari non potest.*

Quòd

Quòd uerò ad tactum pecuniarum attinet, ex Apostolica auctoritate habetur, quòd tactus, aut contrectatio simplex pecuniarum nullum crimen, aut turpitudinem infingit, sed crimen est in animo fratris, qui pecuniam, uel auarè recipit, uel occultat, aut eius dominium, & proprietatem in se transfert cōtra regulam, quam professus est: quòd explicat Beatus Franciscus in capite sexto, cum dicit, Fratres nihil sibi approprient, &c. *Neq; putandum est Beatum Franciscum contactum pecuniarum simplicem prohibuisse, cum id Euangelium non prohibeat. Regula uerò eius sit hæc, ut ipse inquit, sanctum Euangelium obseruare; Et Diuus Bonauentura dicit, quòd sine consensu non acquiritur possessio, ergo quādiu manet in fratribus uoluntas non acquirendi, etiam si in eorum manibus pro eorum necessitatibus pecunia inferatur, non tamen eam recipiunt, secundum quod receptio in eorum regula inhibetur. Vnde sequitur, quòd fratres tangentes pecuniam regulæ ipsorum non contradicunt illo simplici tactu, sed neq; per hoc uitium proprietatis potest eis adscribi.*

Verum est tamen, quòd prisci illi Patres nostri etiam à contactu pecuniarum uoluntariè abstinebant, tum ne simplicibus ex hoc aliquod scandalum oriretur, & putarent illos accumulandis pecuniis insudare; tum quia experiebantur erga se feruentem adeò populorum deuotionem, ut nihil suis necessitatibus defuturum unquàm dubitarent. Cum autem deferbuisset charitas, & frequens fratrum numerus ex aduenientibus quotidie eleemosinis sustentari nequiret, ne studium sa-

cræ

cræ Theologiæ, & aliarum ſcientiarum, in quibus ordo noſter inſignis ſemper habitus eſt, inopia peſſum iret, placuit ſummis Pontificibus, & præcipuè Martino quinto, & Sixto quarto nobiſcum diſpenſare, ut ex bonis Romanæ Eccleſiæ noſtram inopiam leuare, & erecta literarum Gymnaſia conſeruare poſſemus. Nouiſsimè uerò ad conſcientias noſtras pacandas, ad ſcrupuloſq; euellendos, qui in mentibus imbecilliũ quandoq; emergebant, etiam dominium rerum in communi eorumq; adminiſtratio à ſancta œcumenica Tridentina Synodo conceſſa nobis eſt. Quæ materia, quoniam communis eſt cum ea, quæ capite ſexto tractatur, ad ipſum locum remittitur.

CAPVT QVINTVM.

Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, &c.

In hoc capitulo Beatus Franciſcus hoc unum contendit, ut fratres ſui otium fugiant, quod omnium malorum radix, et fomentum eſt: Quamobrem ſtatuitur, ut hi, qui in literis, uel in muſica non ſe exercent, exerceantur in aliquo officio. Ianuas pro clauſura obſeruent, hortos colant, infirmis, & in gradu collocatis patribus ſeruiant, Verrant domum, accedãt ad eleemoſinam petendam, & ſimilia faciant, quibus otioſitati malorum omnium ſentinæ occurrant.

Qui uerò layci fuerint non permittantur deferre coronã in

capite, sed seruiant publicæ utilitati, & cogantur iuxta regulam pro horis canonicis dicere, Pater noster, &c. atq; nullo tempore admittantur ad sacros ordines suscipiendos.

Qui uoluerint literas discere, examinetur prius à Prouinciali magistro, ut si eos idoneos ad grauiora studia inuenerit, certiorem faciat Generalem ordinis, qui in aliquo Religionis Gymnasio eos collocet; collocari uerò pro Baccalaureis non poßint, qui prius in Dialectica non profecerint, conclusionesq; in ea profeßione honorificè non sustinuerint.

Qui per multos annos in studiis nõ profecerint, à Gymnasiis amoueantur, & alii studiosi in eorum locum subrogentur.

Baccalaurei, et doctiores studẽtes exercebunt se alternatim lectionibus, disputationibus, & prædicationibus, ut istis tribus simul assuescant, hoc enim modo citius in uiros eruditos euadent.

Minora literarum Gymnasia ità disponantur, ut quædam Logicæ, quædã Philosophiæ studio applicata sint, ut iuuenes, qui dedunt se literis, per gradus ascendant, & non poßint in maioribus constitui, qui in minoribus saltem per triennium non steterint.

Similiter & Lectores non fiant Regentes in celebrioribus Studiis nisi in minoribus prius eruditionem suam testatam fecerint.

In maioribus studiis, ubi sunt Theologiæ profeßores, ultra ordinarios Lectores scholasticos, habeatur lectio Sacræ Scripturæ, nõ dimittendo textum Magistri sententiarum, quem

omni

omni triennio, in ſubſtantia ſaltem, Regentes teneantur percurrere, & lectiones incipiant ſingulo anno poſt feſtum natiuitatis Beatæ Virginis.

Lectores, qui in publicis uniuerſitatibus legunt, teneantur ad arbitrium Generalis in iis Conuentibus, ubi morantur, unam lectionem legere.

Curet etiam idem Generalis, ne ſinat iuuenes in propria domo ſtudere, ſed mittat eos extra, ne patria commoda, & affectus eos à ſtudiis abſtrahant:

Qui uoluerint ad doctoratus inſignia promoueri, non admittantur niſi iuxta Breue Sanctiſsimi Domini noſtri Pii quarti, uidelicet in Capitulo Generali præmiſſo rigoroſo examine. Supplicatur tamen eidem Sanctiſsimo Domino noſtro, ut amoueatur numerus certus promouendorum, & promoueri poſsint ii omnes, qui in eodem Capitulo de conſilio aliquorum publicorum Lectorum idonei à Generali iudicati fuerint, non niſi eodem rigoroſo examine præmiſſo, & præmiſſo promotorum iuramento (eſt enim in ordine tanta eruditorum copia, ut ad tam exiguum numerum reſtringi nõ poſſint, quod in proximis Comitiis generalibus Florentiæ omnes nouerunt.)

At quoniã fratres extra Italiam conſtituti (excepta Dalmatia) non niſi difficilè, & magnis ſumptibus ad Generale Capitulum accedere poſſunt, ſtatuitur, ut ii omnes, qui uoluerint ad magiſtralem coronam recipi, examinentur in aliqua publica uniuerſitate illius regionis, de qua fuerint propoſitis con-

clusionibus in ea facultate, ad quam promoueri uoluerint: Qui quidem, si præmisso rigoroso examine ab illa uniuersitate digni Doctoratus titulo iudicati fuerint, fidemq; publicã ab ipsa decorum sufficientia habuerint, poßit eos Generalis per suas literas in aliqua uniuersitate, uel à persona auctoritatem habente ad doctoratus lauream suscipiendam admittere.

Nullus uerò ad Doctoratum, uel ad alium gradum superioritatis de cetero promoueatur, qui prius profeßionem fidei non fecerit iuxta bullam præfati Domini nostri Pii quarti.

CAPVT SEXTVM.

Fratres nihil sibi approprient, &c.

Circa hoc Capitulũ repeti possent, quæ supra in præfatione, & in capite quarto dicta sunt, quòd scilicet nos non habemus in particulari aliquid proprium, sed usum simplicem rerum, quamuis sancta Tridentina Synodus concesserit, ut possimus habere proprium in communi: Ad tollendum tamen omne proprietatis uitium iuxta decreta eiusdem sacrosancti Tridentini Concilii prohibemus omnibus ordinis nostri fratribus, & sanctimonialibus, ne quisquam eorum bona immobilia, uel mobilia cuiuscumq; qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus posideat, uel teneat, sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuiq;, uel Monasterio incorporentur, prout

nos ex nunc ea applicamus, & incorporamus, applicataq́, et incorporata pronunciamus.

Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui ordinis nostri concedere etiam ad usumfructum, uel usum, administrationem, aut commendam: Et si aliquæ licentiæ etiam à Generali, aut alio quouismodo ex quacumq; causa aduersus prædicta hactenus concessæ reperiantur, eas ex nunc tollimus, & abrogamus.

Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat.

Mobilium uerò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilq́, superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur: quorum omnium registrum Superiores apud se habeant, & singulo anno reuideant, & fratres ea uendere, alienare, aut donare nemini ualeant. Quòd si quis aliter fecerit, uel quidquam etiam si pecunia sit, tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & passiua uoce priuatus sit, atq; etiam iuxta ordinis nostri constitutiones ueluti proprietarius puniatur. Quinimmo ad errores istos tollendos præcipit generale capitulum, ut in singulo Conuētu, et Monasterio sit ærarium publicum, ubi reponantur singulorum fratrum, & sanctimonialium pecuniæ, quæ inde non extrahantur sine necessitate à Superiore cognita. Monemus tamen singulorum Cōuentuum Superio-

res, iuxta singulorum fratrum merita, gradum, & necessitates ex reliquis bonis, & præsertim ab eisdem fratribus acquisitis, aliqua eis pro studiorum, et laborum sustentatione, largius, & commodius subministrent.

Habeatur uerò diligens senium, & infirmorum cura, prouideaturq; eis de communibus eleemosinis in eorum necessitatibus, & in singulo Conuentu præficiatur saltem unus, cui huiusmodi cura committatur.

Et cum quis infirmari cœperit, statim resignet Superiori omnia, quæ suo usui fuerint applicata, ut in casu mortis Conuentui cædant. Emolumenta quæ ex Priorum Legatis (uel ut uocant) mansionariis proueniant, in publicam utilitatem conuertantur, & nulli particulari tribuantur.

Licentia uerò disponendi de bonis suo usui deputatis, aut etiam de cellulis, et cameris ipsis nulli fratri, aut sanctimoniali tribuatur, sed hæc sit Generalis, et Prouincialium cura, secundum gradum & uirtutem, ea, quibus uidebitur assignare. Et si quis hactenus à Superioribus ordinis, aut etiam à sede Apostolica talem disponendi licentiam obtinuit, nulla censeatur.

Quod autem ad Syndicos, uel Procuratores, sanctesios, siue operarios attinet, singuli Conuentus & Monasteria, ubi Superioribus ordinis uisum fuerit opportunum, unum, aut alterum illorum, siue plures eligant, ad ipsorum Superiorum nutum amouibiles, ut sancta Tridentina Synodus decernit, non quidem ut rerum, & bonorum ordinis Procuratores, &

Recto-

Rectores, quemadmodum hactenus consueuit, cum nondum Religio haberet proprium in communi, sed ut Conseruatores, et Defensores, qui non possint à Principibus, uel communitatibus institui, sed tantum præsentari. Superior uerò, qui ei uidebuntur, confirmet, & non permittat eos perseuerare ultra triennium nisi generale Capitulum ex urgenti causa aliter decreuerit. Hi uerò attingant saltem annum quadragesimum quintum, etiã ubi eis bonorum temporalium fuerit cura commissa, teneantur quotiescunq; à Superiori, uel sanctimonialibus requisiti fuerint de ipsis bonis rationem reddere, quæ quidem bona, etiam pecunias ipsas non teneant apud se, sed conseruentur in Monasteriis, & non exponantur nisi iuxta earũdem sanctimonialium, uel earum Superiorum uoluntatẽ. In spiritualibus uerò ullo modo ipsi Syndici, siue operarii non se intromittant, ut infra dicetur.

Procuratores ex ordine singulo mense coram fratribus in loco publico suæ administrationis rationem reddere teneantur; Aliter priuetur bonis omnibus suo usui deputatis, etiam ipso Conuentu.

In quam pœnam incidat etiam qui mercaturas animalium societates, uel alias negociationes exercere compertus fuerit.

Si quis uerò in sua administratione fraudem aliquam, uel furtum commiserit, priuetur officio, & disciplinetur; & si furtum insigne fuerit, etiam à Prouincia proscribatur, & per decennium ad officia inhabilis habeatur.

Cla-

1 Claues, sub quibus bona Conuentum, et Monasteriorum reponuntur, non à Superioribus ipsorum Cōuentuum, et Monasteriorum tantum, sed etiam ab aliis discretis personis eorundem locorum custodiantur, qui omnes diligenter introitum, & exitum ipsorum bonorum in libris describant, & Prælato suo postmodum ostendant.

CAPVT SEPTIMVM.

Si quis fratrum instigante inimico mortaliter peccauerit. *Duo in hoc capitulo docet nos Beatus Franciscus.*

Alterum, ad quos fratres peccantes debeant recurrere.

Alterum, quo modo sunt recipiendi.

2 *Circa primum statuitur, & ordinatur, ut nullus fratrum peccata propria, uel proximi sui propalare audeat, nisi Superioribus ordinis sub pœna carceris per mensem, & unius publicæ disciplinæ omni sexta feria ipsius mensis.*

3 *Nullus etiam audebit literas scribere in infamiam proximi, & religionis, neq; fratrum scandala, & secreta in ordine reuelare, nisi prædictis Superioribus sub eadem pœna, & excommunicatione latæ sententiæ, à qua per solum Generalem absolui possit.*

Nemo subterfugiat iudicium sui magistri prouincialis, neque eum reiiciat, quousq; suam sententiam non protulerit. Qui secus fecerit, exilio à prouincia per triennium puniatur. Prouincialis tamen procedat in causa. Si uerò suspitio fue-

fuerit, quæ indiciis uehementibus appareat, quòd Prouincialis procedat ex odio & paſsione, poſsit accuſatus poſtulare à Generali Collegam, qui unà cum prouinciali cauſam ſuam expediat. Ipſe tamen reus hoc interim recedere non poſsit ſub pœna conuicti criminis.

Qui pro iniuſtitia ſibi illata, uel quem prætendit ſibi illatam eſſe ad brachium ſeculare recurrerit, & non potius ad ſuperiores ordinis, exulet ſtatim à prouincia, & fiat inhabilis ad omnia ordinis officia.

Non accuſet frater fratrem de aliquo crimine corã Superiore, niſi per teſtes, uel ſufficientia inditia probare poſsit, quod imponit, aliter accuſans ea pœna mulctetur, quam accuſatus ſuſtinere debuiſſet, & ſic ſemper, quando quis imponit aliquid, quòd per teſtes, uel ſufficientia inditia non probetur, pœna talionis puniatur denunciare tamen liceat, & denunciantem Superior ſecretum teneat.

Quicumq; ex quauis cauſa in fratrem ſuum manum uiolentam iniecerit, ſanguinemq́; fuderit, uel etiam ſine ſanguine grauiter percuſſerit, ultra pœnas delicto congruentes, etiam ad omnia ordinis officia in perpetuum inhabilis habeatur, & à prouincia expellatur, neque ad officia, ſiue prouinciam reſtitui poſsit, niſi per Generale Capitulum, & per omnium patrum Diffinitorum uota. Quas pœnas eos quoq; incurrere uolumus, & decernimus, qui conuitiis, minis, aliisue modis aliquem ad percuſsionem irritauerint, & laceſsiuerint. Teneantur uerò Guardiani, & alii locorum noſtrorum Re-

ctores ſub pœna priuationis ſuorum officiorum huiuſmodi reos, etiam ſi in domo ipſorum non deliquerint, in carcerem coniicere à Superioribus puniendos.

Qui commiſerit aliquod facinus, propter quod ſi eſſet in ſeculo, foret iuxta leges morte plectendus, uel aliquam inſignem infamiam, ſiue ruinam ordini, ſiue ordinis Superioribus intentauerit, perpetuis carceribus condemnetur; Et ſi aliquo tempore condonatum illi fuerit de his pœnis, nunquã tamen ad Conuentum ſuum remittatur, neque habilis ad officia ordinis habeatur.

Qui uerba minus honeſta in contumeliam fratrum, & Superiorum etiam in clauſtro dixerit, pro arbitrio Superiorum ieiuniis, & carcere maceretur.

Incorrigibiles in capitulis generalibus, & prouincialibus publicè puniantur. Quòd ſi neque hoc modo ad mentem reuocari poterunt, ut benè honeſteq́ uiuere uelint, ſuſpendantur à diuinis, et laycalem ducant uitam, ac ſeruiant Monaſterio tanquàm layci. Et ſi perſeuerauerint incorrigibiles eſſe, perpetuis carceribus mancipentur.

Circa ſecundum: Omnibus Superioribus ordinis præcipit generale Capitulum, ut fratres peccantes ita cum iuſtitia corrigant, ut miſericordiæ non obliuiſcantur, & caueant, ne peccatum fratris occultum in propatulo exponant, & qui debent ordinis miſerias tegere, & occultare, eas ſeculi auribus non traducant, & manifeſtas faciant.

CAPVT OCTAVVM.

Vniuersi fratres vnum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem Ministrum, &c.

Circa caput istud de electione Superiorum ordinis, & aliorum officialium explicandus est modus, quo eligi debeant, ut seruetur Canon sextus reformationis regularium æditæ à Sancta Tridentina Synodo, ubi dicitur, In electione Superiorum quorumcumq; &c. (explicetur totus)

Pro executione igitur præsentis canonis ex decreto generalis capituli Florentiæ nuper habiti statutum est, ut huiusmodi electiones per ea secreta suffragia fiant, quæ nos balotationes uulgò dicimus, ut putà, in quibus ita facilè fraudes non admittuntur, ubi singulorum uotorum suffragia calculis lineis, aut laneis colliguntur, hoc scilicet modo, extat uas ligneum duplex, in quod, cum quis manus imposuerit, potest calculum suum in quam uoluerit partem deponere (una enim pars uota affirmatiua, altera negatiua colligit) & nemo nouit, ubi calculus ceciderit, ita ut unusquisq; conscientiæ suæ satisfacere, & ipse à nullo cogi potest.

In electione igitur Generaliú, Prouincialium, Procuratoris in urbe, Custodum, Guardianorum, & omnium officialium, quibus aliquis gradus administrationis, uel Superioritatis in subditos ex electione accedit, fiat electio per balotatio-

nes, & non alio modo: Quicquid secus factum fuerit irritum sit, & inane: In Prouinciis Austriæ, Bohemiæ, Romaniæ, Orientis, & terræ Sanctæ, & si quæ sunt similes prouinciæ, quæ eligere suos prouinciales non consueuere, designetur à Generali per triennium Prouinciales, qui tamen in deputandis aliis inferioribus officialibus modo supradicto utantur. Et ne fraus in calculis oriatur, mandat generale Capitulum, ut unusquisq; accipiat suum calculum à Præsidente Capituli, quo accepto rectà ad uas balotationis accedat, manu eleuata, & digitis extensis, ita ut omnes uideant, quòd unicus est singulorum calculus.

Discreti etiam ad prouinciale Capitulum profecturi, ubi fuerit numerus conueniens fratrum à suis Conuentibus, & ipsi Diffinitores in Capitulo à suis custodiis per balotationes eligantur. Qui Diffinitores ad aliud officium non possint assumi, sed perseuerent in illo per annum usq; ad Capitulum prouinciale, & interim consilio, & auxilio singuli in sua custodia prouinciali, dum uisitat, assistant. Quod si prouinciale Capitulum non celebrabitur, ipsimet cum prouinciali totidem alios patres per easdem balotationes secernent, qui sub nomine Diffinitorum officiales prouinciæ eligant, et per annũ similiter perseuerent. Et ita fiat singulis annis, quando Capitulum prouinciale non habebitur.

Caueant tamen fratres omnes, quibus ius electionis conuenit, ne calculum suum alicui tribuant, neue alterius ipsi recipiant, uel fraudem aliquam in modo isto electionis committant

tant ſub pœna expulſionis à Prouincia, & inhabilitationis ad omnia officia ordinis.

Qui ſuas eleemoſinas, & alia bona in manu Superiorum ſuorum iuxta modum ſupraſcriptum in capite ſexto, non reſignauerit, conuentuiq; non incorporauerit, non poſsit eligi ad aliquem gradú, et honorem, ſed ueluti proprietarius puniatur.

Si quis uerò uia, & fauore Principum, & Prælatorum, quaſi ui quadam intromittere ſe in officiis religionis procurauerit, ſtatim ad ea inhabilis habeatur.

Prouinciales peracto ſui magiſtratus triennalis termino, non procurent reeligi iterum à ſua Prouincia, niſi ex defectu fratrum, uel alia rationabili cauſa id Generalis per patentes literas permitteret ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis graduum, quas pœnas extendi uolumus etiam ad eos, qui eos elegiſſent.

Commiſsarii Generales quauis poteſtate præditi, non audeant electos prouinciales, etiam ſi eorum electioni præfuerint, confirmare, cum id tantum Generalis munus ſit, & auctoritas, niſi id in ſuis patentibus expreſsè contineretur: Qui ſecus fecerint, ab auctoritate, & gradibus cecidiſſe intelligantur.

Procurator in urbe maneat apud Sanctum Saluatorem de unda, hyberno ſaltem tempore ſecundum antiquas ordinis conſtiutiones, & ſummorum Pontificum decreta. Et ad euitandam diſcordiam unus tantum Procurator, non plures eligantur. Procurator uerò electus, ſicut & Generalis iuramen-

ramentum ſolitum iuxta Alexandrinas conſtitutiones præſtare teneatur.

Capitula generalia, & prouincialia poſsit Generalis conuocare quando, & ubi illi uiſum fuerit iuxta tenorem Regulæ de triennio in triennium, uel ad alium terminum maiorem, uel minorem. Et uocales, qui uocati fuerint, congruo tempore adeſſe curabunt, aliter uoce actiua, & paſsiua priuentur. Qui uerò uocales non ſunt, ad Capitula non accedant ſub pœna unius publicæ diſciplinæ.

CAPVT NONVM.

Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi cum, &c. *Tria potiſsima in hoc Capitulo animaduertenda ſunt.*

Primum ne quis fratrum in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi audeat prædicare, cum ab illis fuerit contradictum, ut ſonat litera, & nuper ſtatuit ſancta Tridentina Synodus ſeſſione octaua canone quarto.

Secundum, ne quis officium prædicationis ſibi arroget, ſed à ſuis ſuperioribus mittatur.

Tertium, quomodo ſe habere debeant Prædicatores in eo munere obeundo.

Circa primum mandat generale Capitulum omnibus Prædicatoribus ordinis, ut ſeruent illum punctum Regulæ, & Concilii, ne ſcilicet populo prædicent, contradicente Epiſcopo.

Quin-

Quinimmo fratres omnes honorem, & reuerentiam Episcopis exhibeant.

Seruetur etiam decretum eiusdem Sanctæ Synodi Sessione septima canone decimo quarto, ne fratres audiant confessiones secularium, nisi prius fuerint à suis Superioribus examinati, & ab ordinariis admissi: Qui secus fecerint, ultra alias pœnas, reddantur inhabiles ad huiusmodi confessiones audiendas.

Circa secundum, nullus ad officium prædicationis admittatur à Generalibus, siue prouincialibus magistris, qui non fuerit sacerdos, uel Diaconus uita, & moribus comprobatus, præcipuè uerò catholica doctrina instructus.

Superiores ordinis omnem suam curam, & studium adhibebunt, ut benè noscant Prædicatores, quos admittunt, eorumq; doctrinam explorabunt, nequid contra receptam ueritatem, uel contra Sedem Apostolicam, siue Christianos Principes prædicetur.

Similiter se gerant erga Patres confessarios, quos non admittent ad tam difficile munus, nisi uiros bonæ conscientiæ, & qui sciant discernere inter lepram, & lepram. Hi autem per Conuentus, & loca iuxta necessitatem distribuantur.

Magistri, & Prædicatores etiam disponantur hoc modo, ut in prædicationibus, & lectionibus præsertim casuum conscientiæ se exerceant populosq; in fide instruant: Et qui non legunt, uel non prædicant, uel in aliquo officio Religioni non seruiunt (nisi alias in his studiis suas partes gesserint) exem-

ptio-

ptionibus, & honoribus ſui gradus non gaudeant. Fratres uerò, qui ad caſuum conſcientiæ lectionem audiendam non acceſſerint, non admittantur ad audiendas confeſsiones, niſi uiri alioquin eruditi, & probati: Et id curent Prouinciales ſub pœna priuationis officii.

Si quis deprehenſus fuerit Prædicatoris, uel confeſſoris munus abſq; Superiorum licentia exercuiſſe, poſt carcerem per menſem exulet à Prouincia per triennium, & ſi ſæpius hoc modo deliquerit per annum carceribus deputetur.

Circa tertium, nullus fratrum in ſuis prædicationibus ne latum quidem unguem diſcedere audebit à communibus ſenſibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & à Patrum ab ea approbatorum ſententiis, neq; aliquam nouam opinionem intrudet.

Argumenta etiam hæreticorum, uel eorum reſponſiones in medium afferre nemo in ſuis concionibus audebit, ea præſertim, quæ captu difficilia ſunt rudi plebeculæ, ne hæreticorum dicta pro concluſionibus ueris, & Catholicis recipiantur.

Si quis uerò poſthac conuictus fuerit aliquam propoſitionem hæreticam, uel ſciſmaticam populo prædicaſſe, propter quam abiurationem facere teneatur, nunquàm amplius ad prædicatoris munus, neque ad ordinis officia admittatur. Et ſi quis à quattuor annis citra fuit aliqua labe hæreſis notatus & conuictus, habeatur inhabilis ad quoſcunq; gradus, & dignitates per decennium.

Nullus

Nullus etiam librum aliquem tractantem de fide, aut de quacunq; alia materia in lucem ædere ualeat sub pœna excommunicationis, & carceris, nisi prius à Generali, uel à deputatis ab eo ille liber fuerit approbatus, & præterea alia obseruentur, quæ circa hoc in decretis Concilii Tridentini, & Indice librorum cauta sunt.

CAPUT DECIMUM.

Fratres qui sunt ministri, & serui aliorum fratrum, &c. *In hoc Capitulo Beatus Franciscus instruit Superiores ordinis, & eorum subditos inuicem se gerere debeant.*

Superiores uocat Ministros, & seruos aliorum fratrum, ut sciant se non esse dominos, neq; habere dominium super subditos, ut Domini temporales, sed ideò constitutos esse super alios, & eorum utilitati, & saluti inseruire debeant; præfecturæ enim nostræ sunt potius officia, quàm dignitates.

Subditos uerò docet, ut omnimodam obedientiam suis Superioribus præstent, memores, quòd propter Deum abnegauerunt proprias uoluntates.

Quamobrem mandatur omnibus prouincialibus sub pœna priuationis suorum officiorum, ut singulis annis, dum uisitant, examinare debeant fratres suos etiam sub iuramento, de statu Conuentuum, & locorum, de uita fratrum, de moribus, de conuersatione, & de obseruatione harum constitutio-

 num,

num, atque de omnibus certiorem faciant Generalem Magistrum, uisitent quoq; cameras, explorent si quid habent fratres superflui, quod non conueniat suæ professioni; & ubi non sunt Inquisitores, etiam libros fratrum diligenter examinent.

Mandatur quin etiã prædictis ad meritum obedientiæ salutaris, ut in promouendis fratribus ad aliquem gradum, uel officium, inuigilent, ne indigni præferantur dignis, & mali optimis, sed in omnibus publicæ utilitati, & ornamento consulant. Præferantur uerò, qui publico commodo Conuentuum, & locorum non suæ utilitati incumbunt.

Caueant quoq; prouinciales sub pœna priuationis officii, ne de cætero cooptent in cœtum Patrum, qui fuerint minoris ætatis annorum quadraginta, nec ad hoc suffragari possit aliquis gradus, uel officium, præter doctoratus titulum; indecens enim est, ut inter eos, quorum consilio res Conuentuum aguntur, omnes passim sine delectu introducantur.

Subditis uerò mandatur sub eadem ui obedientiæ, ita humiliter exhibeant se dicto Superiorum, ut nihil sibi magis faciendum proponant quàm illud, quòd ipsorum Superiores iuxta suæ professionis præscriptum peragendum iusserint.

Qui autem minus obediens, uel contumax suis Superioribus fuerit, & admonitus non se emendauerit, ueluti regulæ suæ, & uoti obedientiæ transgressor puniatur. Et quicunq; in Generali, uel Prouinciali Capitulo ad aliquod officium assumptus fuerit, & non paruerit per quinquennium ad omnia

officia

officia ordinis inhabilis habeatur, actiuaq; uoce careat.

CAPVT VNDECIMVM.

Præcipio firmiter fratribus uniuersis, ne habeãt suspecta consortia. *Duas partes habet hoc Capitulum: Prima prohibet fratribus suspecta consortia mulierum. Secunda ingressum in monasteria Monacharum.*

Circa primam partem mandat generale Capitulum districtè fratribus omnibus, ne conuersari, neq; loqui audeant cum mulieribus malæ famæ, & quantum fieri poterit, etiam ab alloquutione mulierum bonæ famæ abstineant.

Qui comprehensi fuerint habere suspecta consortia mulierum, & correcti non se emendauerint, carceribus per mensem mancipati à Conuentu proscribantur. Et si quis conuictus fuerit huiusmodi mulieres duxisse intra claustra Conuentus, ultra præfatas pœnas, etiam flagris omni sexta feria publicæ cedatur per mensem.

Vt autem hæc omnia seruentur districtè præcipitur, ut in omnibus Conuentibus diligenter clausura obseruetur, & unus fratrum ianuæ semper assistat, qui mulieres nullo modo ingredi permittat.

In ipsis uerò Conuentibus, & locis non recipiantur hospitio personæ seculares, nisi fortè aliqui Prælati, & uiri admodum insignes ad breue tempus, et de licentia Superioris, ut clausura debitè seruetur, et laycorum discursu non interrumpatur. Quare obsecrandus est Beatissimus Papa, ut iubeat, Prin-

cipibus, & Magistratibus, ne grauent Conuentus, & loca nostra equis, militibus, & aliis eorum officialibus.

Circa secundam partem, de sanctimonialibus mandatur omnibus, et singulis fratribus nostris, ne accedant ad Monasteria Monialium nisi pro diuinis agendis, & ex iussu Superiorum, qui ætatem, et probitatem mittendorum considerent, sub pœna per triennium secundum constitutiones Capituli Generalis Mediolanensis proximi. Et qui mittentur, à Sanctimonialium alloquutione abstineant sub pœna exilii per annum.

Circa uerò ingressum Monasteriorũ seruetur Canon quintus reformationis Regularum Tridentini Synodi, ubi dicitur, Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, uel ætatis fuerit, siue Episcopi, uel Superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.

Quapropter mandatur Abbatißis omnibus Monasteriorum nostrorum, sub pœna eadem, & sub pœna priuationis officii, ne admittant intra claustra Monasteriorum aliquem absq; expressa licentia in scriptis suorum Superiorum, quicunq; is sit, & cuiuscunq; conditionis; Licentia autem in casibus tantum neceßariis detur, ueluti pro Confessore, Medico, aut aliis Ministris exigente neceßitate.

Vnicus etiam sit, & communis sanctimonialium medicus, prouectæ ætatis, ab uniuersitate Monialium eligendus, & per Generalem, seu Prouincialem approbandus, qui cum

clau-

claustra Monasterii ingressus fuerit, comitatus, à duabus Monialibus ex antiquioribus, si Abbatissa adesse non potuerit, semper incedat, quousq; claustra exiuerit.

Circa puellas seculares, quæ in quibusdam Monasteriis erudiendæ introducuntur, maximam curam adhibeant Superiores, ut non nisi honestas, & pacificas Virgines de Monialium consensu ingredi sinant, & quæ ingressæ fuerint non sustineantur ultra 16. annos: Quo tempore uel subiectum regularem suscipiant, uel nubendæ domum remittantur. Monasteria uerò, quæ tales Virgines recipere non consueuere, nullo modo ad eas recipiendas cogantur.

Puellæ etiam habitum non suscipiant, nec professionem emittant, absq; approbatione Generalis, uel Prouincialis, aliisq́; requisitis iuxta decreta Concilii Tridentini in Sessione uigesima quinta: Quicquid secus factum fuerit, irritum sit, & inane, ac contrafacientes excommunicationem incurrant. Superiores autem ipsi teneantur antea diligenter scrutari uoluntatem puellarum, an sponte, an inuitè Monasterium ingrediantur, ut si spontè ad religionem accedant, eas suscipiant, si inuitè, eas reiiciant, atq; domum remittant.

Quæ spontè uoluerint ad Religionem accedere, habitum non suscipiant ante duodecimum annum, neque admittantur ad professionem ante decimum sextum suæ ætatis annum expletum, & nisi per annum saltem antea in probatione steterint. Cuius professionis tẽpus, ne Episcopus ignoret, teneatur præfecta Monasterio eũ ante mẽsem certiorem reddere sub

pœna

pœna à Concilio statuta, & singula Monasteria habeant librum, in quo describantur nomina profitentium, & tempus.

Ante uerò professionem (excepto uictu, & uestitu) nihil tribuatur Monasterio ex bonis puellarum à parentibus, propinquis, aut curatoribus quocunq; prætextu, ne hac occasione discedere nequeant, quod totam, uel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius præcipit Sancta Synodus sub Anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant.

Habeant quoq; ipsa Monialium Monasteria sua seminaria, siue nouitiatus præcipuamq; puellarum magistram, quæ eas erudiat, & in uiam mandatorum Dei dirigat.

In primis uerò mandat generale Capitulum Sanctimonialibus omnibus nostri ordinis, ut diuino cultui semper inuigilent horis Canonicis, die noctu uacent, uerba otiosa, & uana non admisceant, à choro horarum tempore non discedant, sed iuxta earum professionem, abiectis mundi uanitatibus, & illecebris se totas Deo committant, ieiuniis, et orationibus insistendo, præcipuè uerò ieiunia Romanæ ecclesiæ, & suæ Regulæ, ac disciplinam in his diebus non prætermittent.

Confessionem peccatorum suorum singulis saltem mensibus faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes dæ-

monis

monis fortiter superandas. Quod uerò ad sanctißimum Christi corpus attinet, præcipit Sancta Synodus ne intra chorum, et septa Monasterii, sed in publica Ecclesia conseruetur, non obstante quocunq; indulto, aut priuilegio.

Confessores Sanctimonialium constituantur uiri probi, & modesti, & non maneant apud unum Monasterium ex celebrioribus præsertim, nisi per triennium, nisi fortè ex aliqua rationabili causa aliter Superiori uisum fuerit; Neque in monasteriis nostri ordinis confessores ulli admittantur, qui non sint ex ipso ordine, quippe qui sciunt, quid importet sanctimonialium professio, & poßunt à transgreßione regulæ absoluere, quod non possunt cæteri, ut literæ Apostolicæ testantur. Sed & præter ordinarios confeßores alius extraordinarius à suis Superioribus bis, aut ter in domo offeratur, qui omnium confeßiones audire debeat.

Electio uerò Abbatissæ ea sit, quæ & aliorum Superiorum ordinis scilicet per balotationes, nulla ratione consuetudinis, aut antiquitatis habita, sed sit in mera eligentium libertate eam Monialem, quam magis idoneam iudicauerint in Abbatissam sibi eligere, seruata forma Tridentini Concilii, seßione uigesima quinta capite septimo.

Abbatissa autem electa confirmationem à Superiore postulet, et nihil quòd ad Monasteriũ, uel ad regimen ipsius pertineat, inconsultis Vicaria, et discretis Monasterii faciat. Quod si fecerit, irritum sit, & inane. Et si sæpius hoc modo deliquerit, officio suo priuetur. Sed neque Abbatißa aliqua perse-

perseueret ultra triennium nisi pro reformatione, aut aliqua maxima monasterii utilitate, sed expleto termino triennali ad nouæ Abbatissæ electionem procedatur nulla consuetudine in contrarium faciente.

Non promoueantur uerò ad aliquod officium, quæcunq; secreta, & scandala sui Monasterii extra ordinem, præsertim apud laicos detulerint, quas uolumus expreßè in excommunicationem latæ sententiæ incidere, à qua per Generalem tantum præmissa pœnitentia absolui poßint. Neq; promoueantur, quæ de suspecto consortiò conuictæ fuerint, sed priuentur omnino accessu ad crates, & rotulas, quousq; signum aliquod manifestæ resipiscentiæ ostenderint.

Nulla sanctimonialis accedet ad crates, & rotulas aliquam personam alloquutura sine licentia Abbatißæ, & cũ præsentia Auditricium, quæ in omni Monasterio èx antiquioribus discretis de more habeantur; & hæc licentia raro, & non nisi ex urgenti causa, atque pro alloquendis parentibus, & consanguineis tantum concedatur. Quæ uerò sine Abbatissæ licentia, uel sine Auditricium præsentia ad crates, aut rotulas inuenta fuerit, priuetur accessu ad eas per menses sex pro qualibet uice.

Nulla etiam sanctimonialis aliqua munuscula dabit, uel recipiet, neq; mittet literas, aut accipiet, nisi prius munuscula uisa, & literæ lectæ ad Abbatissam fuerint, atq; ab ea iudicatum fuerit, ut admittantur.

Ex Monasterio uerò exire nulla ipsarum ex quacunq;

causa

causa audebit, nisi secundum decreta Sanctæ Tridentinæ Synodi capite quinto reformationis regularium.

Vestimenta etiam sanctimonialium huiusmodi sint, ut professioni earum respondeant, non preciosa, non colorata, non mollia, sed honesta, simplicia, & communia, manicisq; amplis utantur ad earum tunicas exteriores: Et omnes professæ habeant sua pallia, siue mantellos, cum quibus ad crates, & coram suo Superiore semper compareant, quæ contrafecerit, actiua, & passiua uoce ad Superioris arbitrium priuata intelligatur.

Super cratibus ferreis sint telæ nigræ, quæ nunquam auferantur, ne Moniales à quoquam uideri possint, nisi fortè à progenitoribus, fratribus, & sororibus de licentia Abbatissæ.

Visitatio, correctio, habitus in ingressu, & ueli in professione collatio ad solum superiorem ordinis, siue eius Commissarium pertineat, non ad aliquem laicum, siue etiam præsbyterum secularem consuetudine, & abusu aliquo non obstante. Qui secus fecerit excommunicationem illico incurrat, in quam etiam incidant quicunq; se intromittere audebunt in iis, quæ pertinent ad spirituale regimen Monialium, etiam in deputandis Confessoribus, aut aliis fratribus, exceptis Superioribus ordinis, quorum hæc cura tantum sit, & officium.

Circa uerò Monasteriorum, & sanctimonialium bona tàm mobilia, quàm permanentia seruetur illud, quod de bonis Conuentuum, & fratrum supra in sexto capite statutum

est, hoc adiicientes, ut operarii, factores, & alii Monasteriorum ministri non eligantur, neque acceptentur à sanctimonialibus sine Superiorum approbatione, ad quorum etiam nutum amouibiles sint, ut Sancta Synodus decernit.

In singulis uerò Monasteriis iuxta statuta Cócilii certus, & determinatus numerus Monialium statuatur, qui uel ex redditibus propriis Monasterii, uel ex consuetis eleemosinis commodè sustentari possit: ad quod inuigilabunt Superiores.

Si autem fuerint aliqua monasteria, quæ reformatione indigeant, possit Superior pro eorum reformatione sumere Moniales ex aliis monasteriis eiusdem ordinis, & eas ibi præficere, cuiuscunque dominii, & status fuerint, non obstante quacũque contradictione Dominorum temporalium.

Et quoniam supradicta omnia ab ipsis sanctimonialibus seruari omnino uolumus, mandamus omnibus, et singulis Monasteriorum nostrorum Confessoribus, ne sanctimoniales, contrafacientes his constitutionibus, nisi præmissa pœnitentia, absoluant.

CAPVT DVODECIMVM.

Qvicunque fratrum diuina inspiratione uoluerint ire inter Saracenos, &c.

In hoc capitulo sunt duo admodum breues articuli.

Primus de iis, qui ad partes infidelium proficisci uoluerint.

Secundus,

Secundus de protectore, eiusq; auctoritate.

Circa primum inuigilandum ualdè est, ut fratres ad terram Sanctam, ad quam prouincia Regni Cypri pertinet, siue ad partes infidelium præcipuè ad Peram propè Constantinopolim, ubi locum satis amplum habemus profecturi, sint eius uitæ, morum, & doctrinæ, ut credi possit aliquem fructum Christianæ fidei ex eorum accessu ad illas partes prouenturum.

Examinentur etiam, et probentur, qui ad confinia hæreticorum se conferunt, præsertim ubi Conuentus, & Monasteria sunt nostri ordinis, ut puta in Gallia, Germania, Polonia, Bohemia Austria, Morauia, Dalmatia, Epyro & similibus partibus, ut Catholica Ecclesia aliquam utilitatem inde referat.

Quapropter sub ui obedientiæ Sanctæ omnibus Superioribus ordinis mandat Generale Capitulum, ne cui ad ea loca, nisi prius de mittendorum probitate sibi constiterit, eundi facultatem aliquaudo faciant.

Circa secũdum Deo optimo Maximo summæ à nobis gratiæ agendæ sunt, quod in ea incidimus tempora, in quibus Protectorem secundum regulam nostram uidere, & habere datũ est. Eo enim Gubernatore, quid boni sperare non debemus? Eo Protectore, quid aduersi timere possumus? Eo Correctore quis ab institutis suæ regulæ deficiet? Gubernator est promouebit ad bonum: Protector est, defendet a malis: Corrector est, continebit in fide, & obedientia Sanctæ Romanæ Eccle-

ſtæ. In his enim auctoritas eius eſt, in his officium ſuum uerſatur, ut expreſsè dicit Beatus Franciſcus in hoc capite, & declarat Gregorius nonus primus ordinis Protector, & deinde cæteros Sixtus quartus, & reliqui omnes, qui regulam explicarunt.

Te igitur ò Illuſtriſsime, & Reuerendiſsime Carole Borromee appellamus, tuam fidem, & benignitatem obteſtamur, ut nos tuæ curiæ, & patrocinio commiſſos Beatiſsimo Auunculo tuo, & Sanctiſsimo patri noſtro Pio Quarto commendatos facias, tu uerò religionem noſtram tua prudentia, conſilio, & auctoritate, protegere ne deſiſtas, ut ab inimicorum inſidiis tuta, Beati patris ſui Franciſci ueſtigiis inhærendo ſedulum in humilitatis ſpiritu reddere ualeat Domino famulatum.

Præterea cupiens generale Capitulum, ut ſupradictæ leges, & conſtitutiones tàm extra Italiam, quàm in Italia ab uniuerſo ſodalitio noſtro, ſeruentur, & executioni demandentur, tria hæc præcipua decreuit, ac iuſsit.

Primum, ne Generalis, & multò minus Prouinciales poſsint diſpenſare in his, quæ ſunt de eſsentia Regulæ, ut puta, quæ recipiunt tria uota eſſentialia obedientiæ, ſcilicet, paupertatis, & caſtitatis, ſed neq; in aliis, niſi ex urgenti neceſsitate, uel aliqua ualdè rationabili cauſa, quæ tamen decretis Tridentinæ Synodi non aduerſetur, ſuper quod ipſorum Superiorum conſcientias oneratas uoluit.

Secundũ, quòd quilibet Generalis in primo officii ſui trien-

nio,

nio ceſſante legitimo impedimento bellorum, aut peſtis, Prouincias Hiſpaniarum, & Portugalliæ in perſona propria uiſitare teneatur. Quòd ſi ex ſua negligentia non fecerit, non poßit in generalem reeligi pro ſecundo triennio; ſed alius eligatur, qui huic decreto ſatisfaciat.

Miniſtri uerò, qui in executione præſentis reformationis à Generali, uel Viſitatoribus minus diligẽtes inuenti fuerint, ab officiis ſuis cadant, et reddantur inhabiles etiã ad minores gradus, & officia ordinis; Viſitatores autem, qui prouincialium partes implebũt, etiam prouincialium magiſtratu potiantur.

Tertium, quod conſtitutiones ordinis noſtri quocunq; tempore factæ, etiam ſi Apoſtolica auctoritate ſint confirmatæ, in his, quæ decretis huiuſmodi, ac Tridentini Concilii repugnant, omnino irritæ, & abrogatæ eſſe intelligantur, atq; omnes ad limites, & præſcriptiones iſtarum, & concilii redactæ cenſeantur.

Poſtremò à Beatißimo Domino noſtro Pio quarto ſupplices petimus, ut iubeat Principibus, & Magiſtratibus, ne ullam moleſtiam, uel impedimentum inferant, uel inferri ſinant, quo minus ſupraſcriptæ Sanctiones in ſuis dominiis executioni mandentur, ſed potius faueant, & auxilium ſuum impendant. Fratribus autem Beati Franciſci, quæ de obſeruantia dicuntur, ſub cenſuris, & pœnis prohibeat, ne Conuentus, & loca utriuſq; ſexus etiam tertii ordinis, quæ ubiq; gentium ſub cura noſtra degunt, recipere audeant, iuxta Breue felicis recordationis Iulii ſecundi, et ſi quæ ſibi uſurpa-

runt,

runt, uel habuerunt à non habente auctoritatem, restituant.

Nos interim pro præfato Beatißimo D.N. & pro Illustrißimis, ac Reuerendißimis Dominis Cardinalibus Protectoribus, & cæteris omnibus, ac præcipuè pro illis, qui in reformatione ista suam operam præstiterunt, indeficientes ad Deum preces fundere non desistemus. Qua de causa ordinat generale Capitulum, ac sub ui obedientiæ sanctæ districtè præcipit omnibus & singulis Sacerdotibus ordinis, tàm extra Italiam, quàm infra constitutis, ut quolibet anno in suis sacrificiis infrascripta suffragia facere teneantur.

In primis pro Beatißimo D.N. Pio quarto, ut Deus illum diu incolumen in terris conseruet, & Beatum postmodum in cælo faciat, celebrentur à quolibet Sacerdote Missæ tres, uidelicet M. 3

Pro Illustris. & Reuerendis. Cardinalibus Carolo Borromeo Protectore, & Ludouico Symoneta Uiceprotectore. M. 2

Pro Illustris. & Reuerendis. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & præcipuè iis, qui in reformatione ista suam operam, & studium exhibuere. M. 2

Pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ conseruatione & defensione. M. 2

Pro Principum Christianorum concordia, et Imperatorum, Regum, Rerumpub. ac Ducum exaltatione. M. 3

Pro Excel. & Illustr. Florentiæ, & Senarum Duce, ac Prin-

Principe, in quorum dominio supradictæ leges statutæ sunt. M. 2
Pro benefactoribus ordinis utriusq; sexus. M. 1
Pro omnibus fidelibus uiuis, atq; defunctis. M. 1
Pro conseruatione, & augumento Religionis nostræ. M. 1
Pro magistro Generali ordinis. M. 1

Ad hæc mandat Generalis Magister ordinis uniuersis Prouincialibus Magistris, ut huiusmodi constitutionum exemplum in singulis Conuentibus, & Monasteriis haberi, atque singulo die sabbati ad mensam legi curent, & faciant.

Omnibus uerò sacerdotibus, ut Serenissimum Sabaudiæ Ducem Patronum, et Protectorem ordinis, cum Excel. Principe eius filio in suis ad Deum precibus commendatum habeant.

REGVLAE SANCTI FRANCISCI

CAPVT PRIMVM.



ONORIVS Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Fratri Fräcisco, & aliis fratribus de Ordine Fratrum minorum salutem, & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis uotis, & honestis petentium desideriis fauorem beniuolum impartiri: Ea propter dilecti in domino filii uestris piis precibus inclinati ordinis uestri regulam à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam, annotatam præsentibus, auctoritate uobis Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Quæ talis est:

In nomine domini Incipit Regula, & uita fratrum Minorum.

Regula & uita fratrum Minorum hæc est. s. Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, uiuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Frater Franciscus promittit obediētiam, & reuerentiam domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonice intrantibus, & Ec-

clesiæ

clesiæ Romanæ. Et alii fratres teneantur fratri Francisco, & ejus successoribus obedire.

Capvt secvndvm.

SI qui uoluerint hanc uitam accipere, & uenerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros prouinciales, quibus solummodo, & non aliis fratres recipiendi licentia concedatur. Ministri uerò diligenter examinent eos de fide Catholica, & ecclesiasticis sacramentis, & si hæc omnia credant, & uelint ea fideliter confiteri, & uxores non habent, uel si habent, & Monasterium iam intrauerint uxores, uel licentiam eis dederint, auctoritate diocesani Episcopi uoto continentiæ iā emisso, & illius sint ætatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis uerbū sancti Euangelii, quod uadant, & uendant omnia sua bona, & ea studeant pauperibus erogare: quod si facere non potuerint, sufficit eis bona uoluntas. Et caueant fratres, & eorum ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut liberè faciant de rebus suis quicquid dominus inspirauerit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant ministri, mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus

erogentur. Posteà concedant eis pannos probationis uidelicet duas tunicas sine caputio, & cingulum, & brachas, & caparonem usque ad cingulum nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando uideatur. Finito uerò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes uitam istam, & Regulam semper obseruare. Et nullo modo licebit eis de ista religione exire iuxta mandatum domini Papæ: Quia secundum sanctum Euangelium nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciēs retro, aptus est regno Dei. Et qui iam promiserant obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui uoluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calciamenta. Et fratres omnes uestimentis uilibus induantur, & possint ea repetiare de saccis, & aliis petiis cum benedictione Dei. Quos moneo, & exhortor, ne despiciant neque iudicent homines, quos mollibus uiderint uestimentis, & coloratis indutos, uti cibis, & potibus delicatis, sed magis unusquisque iudicet, & despiciat semetipsum.

Capvt tertivm.

Clerici faciant diuinum officium secundū ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ excepto psalterio,

pſalterio, ex quo habere poterunt breuiaria. layci uerò dicant uigintiquattuor Pater noſter pro matutino, pro laudibus quinque, pro prima, tertia, ſexta, nona, pro qualibet iſtarũ ſeptem: pro ueſperis autem duodecim, pro completorio ſeptẽ, & orent pro defunctis. Et ieiunent à feſto omnium Sanctorum uſque ad Natiuitatem Domini. Sanctam uerò Quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania Domini uſque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus ſuo ſancto ieiunio cõſecrauit, qui uoluntariè eam ieiunant, benedicti ſint à Domino, & qui nolunt, non ſint aſtricti, ſed aliam uſque ad reſurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus nõ teneantur fratres niſi feria ſexta ieiunare: tempore uerò manifeſtè neceſsitatis non teneantur fratres ieiunio corporali. Conſulo uerò moneo, & exhortor fratres meos in Domino Ieſu Chriſto, ut quando uadunt per mundum non litigent, neque contendant uerbis, nec alios iudicent. Sed ſint mites, pacifici, & modeſti, manſueti, & humiles, honeſtè loquentes omnibus ſicut decet. Et non debeant equitare, niſi manifeſta neceſsitate cogantur. In quamcunq; domũ intrauerint, primum dicant pax huic domui. Et ſecũdum ſanctum Euangelium de omnibus cibis qua apponuntur eis liceat manducare

Cap. qvartvm.

PRæcipio firmiter fratribus uniuersis, ut nullo modo denarios,uel pecuniam recipiant per se,uel per interpositam personam. Tamē pro necessitatibus infirmorum,& aliis fratribus induendis per amicos spirituales ministri tantum,& custodes sollicitam curam gerant secundum loca,& tempora,& frigidas regiones, sicut necessitati uiderint expedire, eo semper saluo, ut,sicut dictum est,denarios,uel pecuniam non recipiant.

Capvt qvintvm.

FRatres illi, quibus gratiam dedit dominus laborandi,laborēt fideliter,& deuotè,ita quod excluso ocio animæ inimico sanctæ orationis, & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deseruire. De mercede uerò laboris pro se, & suis fratribus necessaria corporis recipiant præter denarios, uel pecuniam, & hoc humiliter, sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

CAPVT SEXTVM.

FRATRES nihil ſibi approprient,nec domum,
nec locum,nec aliquam rem,ſed tanquam pere
grini, & aduenæ in hoc ſeculo in paupertate,& hu
militate domino famulantes uadant pro eleemoſi
na confidēter.Nec oportet eos uerecundari,quia
dominus pró nobis ſe fecit pauperem in hoc mun
do. Hæc eſt illa celſitudo altiſsimæ paupertatis,
quæ uos chariſsimos fratres meos hæredes, & re-
ges regni cœlorum inſtituit,pauperes rebus fecit,
uirtutibus ſublimauit. Hæc ſit portio ueſtra,quæ
perducit in terram uiuentium, cui dilectiſsimi
fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomi-
ne Domini noſtri in perpetuum ſub cœlo habere
uelitis. Et ubicunque ſunt,& ſe inuenerint fratres,
oſtendant ſe domeſticos inuicem inter ſe,& ſecu-
ré manifeſtet unus alteri neceſsitatem ſuã: Quia
ſi mater diligit, & nutrit filium ſuum carnalem,
quantò diligentius quis debet diligere, & nutrire
fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in in-
firmitatem ceciderit alii fratres debent ei ſeruire

CAPVT SEPTIMVM.

SI qui fratrum inſtigante inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres,ut recurratur ad ſolos miniſtros prouinciales,teneantur prædicti fratres ad eos recurrere quam citius poterũt ſine mora. Ipſi uerò miniſtri ſi præsbyteri ſunt,cũ miſericordia iniungant illis pœnitentiam.Si uerò præsbyteri non ſunt,iniungi faciant per aliôs ſacerdotes ordinis, ſicut eis ſecũdum Deum melius uidebitur expedire. Et cauere debent,ne iraſcantur,& conturbentur propter peccatum alicuius,quia ira, & conturbatio in ſe,& in aliis impediunt charitatẽ.

CAPVT OCTAVVM.

VNIVERSI fratres unum de fratribus iſtius religionis teneantur ſemper habere generalem miniſtrum,& ſeruum totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire, quo decedente electio ſucceſſoris fiat à miniſtris prouincialibus, & cuſtodibus in capitulo Penthecoſtes,in quo prouinciales miniſtri teneantur ſemper inſimul conuenire,ubicunque à generali miniſtro fuerit conſtitu-

ſtitutum, & hoc ſemel in tribus annis, uel ad aliũ terminum maiorem, uel minorem, ſicut à prædicto miniſtro fuerit ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareret uniuerſitati miniſtrorum prouincialium, & cuſtodum prædictum miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſeruitium, & communem utilitatem fratrum, teneantur prædicti fratres quibus electio data eſt, in nomine domini alium ſibi eligere in cuſtodem. Poſt capitulum uerò Penthecoſtes poſsint, ſi uoluerint, & eis expedire uidebitur eodem anno in ſuis cuſtodiis ſemel fratres ſuos ad capitulum conuócare.

CAPVT NONVM.

FRATRES non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, niſi à miniſtro generali huius fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo officium prædicationis ſibi cōceſſum. Moneo quoque, & exhortor fratres, ut in prædicatione, quam faciunt ſint examinata, & caſta eorum eloquia

Caput decimvm.

FRatres, qui ſunt miniſtri, & ſerui aliorum fratrũ uiſitent, & moneant fratres ſuos, & humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & regulam noſtram: Fratres uerò, qui ſunt ſubditi, recordentur, quod propter Deum abnegauerunt proprias uoluntates. Vnde firmiter præcipio eis, ut obediãt ſuis miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt domino obſeruare, & non ſint contraria animæ, & regulæ noſtræ. Et ubicunque ſunt fratres qui ſcirẽt, & cognoſcerent ſe non poſſe regulam ſpiritualiter obſeruare, ad ſuos miniſtros debeant, & poſſint recurrere. Miniſtri uerò charitatiuè, & benignè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, ut dicere poſsint eis, & facere ſicut Domini ſeruis ſuis. nam ita debet eſſe, quòd miniſtri ſint ſerui omnium fratrum. Moneo quoque, & exhortor in Domino Ieſu Chriſto, ut caueant fratres ab omni ſuperbia, uana gloria, inuidia, auaritia, cura, & ſollicitudine huius ſeculi, detractione, & murmuratione, & non curent neſcientes litteras diſcere, ſed attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini,

mini, & sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, patientiam in persecutione, & in infirmitate, & diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt, & arguunt, quia dicit dominus. Diligite inimicos uestros, & orate pro persequentibus, & calumniãtibus uos. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. qui autem perseuerauerit usque in finẽ hic saluus erit.

CAPVT VNDECIMVM.

PRæcipio firmiter fratribus uniuersis ne habeãt suspecta consortia, uel consilia mulierum. Et ne ingrediantur monasteria monacharum præter illos, quibus à sede Apostolica concessa est licentiã specialis. Nec fiant compatres uirorum, uel mulierum, ne hac occasione inter fratres, uel de fratribus scandalum oriatur.

CAPVT DVODECIMVM.

bus. Ministri uerò nullis eundi licentiam tribuant nisi eis, quos uiderint idoneos admittendum. Ad hæc per obedientiam iniungo ministris, ut petant à domino Papa unum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit gubernator, & protector, & correctior istius fraternitatis, ut semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem Sanctæ Ecclesiæ stabiles in fide catholica paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Euangelium Domini Nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginã nostræ confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani tertio Kal. Decembris. Põtificatus Nostri Anno Octauo.

FINIS.





Auuertimento al legatore.

Dopò la prima carta del S. Francesco ui metterete il foglio *, & poi il mezo foglio †, & poi A 2. BCDEFGHI.